



## **Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam**

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;  
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

**Crespin, François**

**Brvxellæ, 1652**

Dubium I. Quid Anima Sensitiva; & an in brutis quibusdam sit rationalis?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

oculi bovis & leonis. Sed

LXVII. Contra est, quod oculus Petri & cor Pauli, sive oculus bovis A. & cor bovis B. sint ejusdem speciei cum oculo & corde ejusdem Petri, sive cum oculo & corde ejusdem bovis; harmonicam tamen istam proportionem non dicunt, quia sub eodem colliguntur. Deinde oculus bovis & cor leonis magis differunt, quam oculus bovis & oculus leonis; sed hi speciei differunt, ergo & a fortiori isti.

LXVIII. Respondebit negando consequentiam, quia propter harmonicam proportionem ad ejusdem speciei formam, magis concordant inter se: sed revera hinc gravia sequuntur absurda, ut animam rationalem & corpus propter harmonicam proportionem ad idem totum, minus inter se distingui, quam duas animas bovis: item oculum, cor, & ventrem Petri, minus inter se distingui, quam quatuor

oculos Petri & Pauli inter se; quia in istis est harmonica proportio ad Petrum, in his non. Quae sunt valde absurda. Neque pro ipso facit S. Thomas de Spiritu creat. q. 1. art. 4. Caro mea cum carne tua magis convenit secundum rationem speciei, quam caro mea cum osse meo; sed secundum analogiam ad totum, est e converso; nam caro mea & os meum possunt ordinari ad unum totum constituendum, non autem caro mea & caro tua; Quia ratione hujus analogiae non mutat S. Thomas distinctionem specificam, uti D. Fromondus mutare debet per suam harmonicam proportionem, ut argumento satisfaciat.

LXIX. Ratio igitur alia est, quod cor & oculi ejusdem bovis eadem animam informativam cordis & oculi informantur, non ita oculi bovis & leonis; quia non datur anima una informativa oculorum bovis & leonis, ut suppono, & fatentur omnes,

## DISPUTATIO QUINTA

### De Anima Sensitiva.

I. **D**E Anima Sensitiva, ejusdem potentiis, & operationibus, pro exigentia vix tractari potest: nihil enim mirabilius fabrica organorum & varietate operationum animae sensitivae, nihilque scire homini delectabilius & utilius. Quia tamen pleraque ad Medicos spectant, ne videamur ultra metā saltare, illa hic tantum discutiemus, quae sunt magis Physica. Quare, sit

#### D V B I V M I.

*Quid Anima Sensitiva, & an in brutis quibusdam sit rationalis?*

II. **D**ari animam sensitivam omnes fatentur, & experientia docet; an autem in nonnullis brutis anima sensitiva sit rationalis, dubium est, quod hic movetur. Sed ante illius Resolutionem

III. Suppono 1<sup>o</sup>, rationale sive potius ratiocinari, esse movere se propter rationem medii & finis inter duo extrema apprehensam, ab uno ad aliud per consequentiam intermediam progrediendo, sic nempe ut ratiocinans cognoscat bonitatem consequentiae, & sciat quare actionem suam exerceat.

IV. Suppono 2<sup>o</sup>, de fide esse bruta animantia non cognoscere honestum ut honestum, sive quatenus conforme est regulis à Legislatore libero praescriptis; illud enim omnino convincit Psal. 31. Noli fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus; id est, cognitio honesti ut honesti, alioqui, cum cognitio ista ordinetur ad electionem, haec consequenter brutis concedi deberet, uti & paradus, vel infernus, quae sunt haeretica.

V. Suppono 3<sup>o</sup>, motum per ratiocinationem prout opponitur motui per naturae instinctum, debere esse actum liberum prout opponitur necessario; quia uti omne necessarium ut opponitur libero, est instigante natura, ita & per naturae instigationem sive instinctum: unde cum dicitur bruta non moveri per ratiocinationem, sed instigari sive moveri per naturae instinctum, in rigore idem est, ac si diceretur bruta non ratiocinari ad electionem, sed ad actus necessarios; juxta illud D. Thomae 1.2. q. 6. art. 2. in corpore. Perfectam igitur cognitionem finis sequitur voluntarium secundum rationem perfectam, prout scilicet apprehensio finis, aliquis potest deliberans de fine, & de his, quae sunt ad finem, moveri in finem, vel non moveri. Imperfectam autem cognitionem finis sequitur

voluntarium secundum rationem imperfectam. Prout scilicet apprehendens finem non deliberat, sed subito movetur in ipsum. Unde soli rationali naturae competit voluntarium secundum rationem perfectam; sed secundum rationem imperfectam competit etiam brutis.

VI. Suppono 4<sup>o</sup>, ratiocinari ut opponitur instigari, stare pro ratiocinari libere; nam ratiocinari necessario prout opponitur ratiocinari libere est quoddam instigari; quia, ut patet, illud est ex natura instigante & actus naturae, &c. prout opponitur voluntati, sive principio libero. His suppositis, sit

#### R E S O L U T I O I.

VII. **D**ico 1<sup>o</sup>, anima sensitiva est principium sensationum, tam externarum, ut visionis, auditionis, &c. quam internarum, ut imaginationis, timoris, &c. Haec Resolutio per se patet.

#### R E S O L U T I O II.

VIII. **D**ico 2<sup>o</sup>, in nullis brutis est anima sensitiva libere rationalis, sive potius nulla bruta libere ratiocinantur. Est de fide, & extra omnem controversiam.

#### R E S O L U T I O III.

IX. **D**ico 3<sup>o</sup>, in nullis brutis est anima sensitiva rationalis simpliciter, sive potius, nulla bruta sunt simpliciter rationalia.

X. Probatur ex Psal. 31. supra citato, Noli fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus; igitur nec potentia ratiocinativa simpliciter: 2. Pet. 2. irrationalia pecora, &c.

XI. Confirmatur: quia per rationale simpliciter omnes intelligunt rationale, ut homo, Angelus, Deus, &c. Haereticum autem est facere bruta ut sic rationalia, imò, ut ait Chrysostomus hom. 4. in Acta: Per Philosophos enim hoc semper egit Diabolus, ut ostenderet nostrum genus nihil à brutis differre, quando nonnulli in opinionem tam absurdam venerunt, ut animalia rationis expertia, dixerint rationalia esse, & animas nostras in musas, canes, & animalia bruta transmutare. Ergo, &c.

#### R E S O L U T I O IV.

XII. **D**ico 4<sup>o</sup>, in variis brutis est anima sensitiva, sive potius multa bruta necessario, ex instinctu naturae & secundum quid ratiocinantur: ita Avicenna lib. 6. natural. p. 4. cap. 2<sup>o</sup>. Gabriel in 1<sup>um</sup>. dist. 3. Niphus in Metaph. l. 1. Disp. 7. Iavellus q. 8. Conimb. 3. de Anima. Arriaga Phyl. Disp. 8. l. 7. ex aliis Plutarchus,

tarchus, Valla, Bodinus, Campanella apud D. Fromondum de Anima lib. 3. c. 10. art. 3. idque mihi omnino certum, nisi disputetur de nomine.

xiii. Probatur, quia id infinitæ experientiæ convincunt.

xiv. 1<sup>a</sup>. Elephantis composito gradu saltare & choreas ducere docti, apud Suet. cap. 6. Galbæ. De quo tamen plura apud Iul. Lipsium Epistolâ 50. Cent. 1. Miscel. quæ ibi ita miratur, ut ratione se omnino carere, fateatur, si prorsus illi.

xv. 2<sup>a</sup>. Canis, qui in vas angusti oris, oleo semiplenum, lapidem misit ut oleum sursum extumeret, sic ut illud linguâ attingere, & allambere posset: Apud Plutarchum lib. de prudentia animalium.

xvi. 3<sup>a</sup>. Vulpis aurem glaciei admoventis, antequam concretos gelu fluvios transeat, sic ut defluentis aquæ sonum audiens, redeat; non audiens, transeat: apud eundem Plutarchum ibidem.

xvii. De similibus sunt etiam experientiæ familiarissimæ: hæc fusiùs deducta habes apud D. Fromondum de Anima lib. 3. c. 1.

xviii. Atqui omnia ista significant bruta illa movere se propter rationem mediæ & finis inter duo extrema apprehensam, ab uno ad aliud propter consequentiam intermediam progrediendo, &c. Ergo, &c.

xix. Confirm. 1<sup>o</sup>. Scriptura Prov. 6. Vade ad formicam & piger & considera vias ejus (idq; merito extenditur ad apes: nam apes ait Campanella l. 2. de sensu c. 23. Habent regem, obedientiam, excubias, fabros, servos, magistros operum, &c. Et tantâ arte cellas fabricant, ut nostras superent & discere sapientiam. Formicarum enim & apum viæ & sapientia sine ratiocinatione secundum quid & necessaria ex instinctu naturæ, non videntur esse posse. Ergo, &c.

xx. Confirmatur 2<sup>o</sup>, ex D. Thoma i. p. q. 78. art. 4. ad 2<sup>um</sup>. Oportet ad sensum communem (qui est in brutis) pertinere discretionis iudicium; Atqui iudicium discretionis est quedam ratiocinatio, v. g. Illud est tale, sed hoc non est tale; ergo hoc non est illud. Vnde ad 5<sup>um</sup>. postquam in conclusione dixerat principium memorandi esse in animalibus brutis, ait: Dicendum quod illam eminentiam (puta utendi quodam syllogismo ad inquirendum) habet memorativa in homine. Neque D. Thomas videtur à brutis aliud ratiocinari excludere, quam in ordine ad electionem, five ad actus liberos, ut patet ex loco supposito tertio citato.

xxi. Obijcies ex D. Fromondo de Anima l. 3. c. 10. a. 2. Videte enim paulisper nobiscum mores bestiarum, omnes ejusdem speciei, ut ad finem aliquem perveniant, uno eodemque medio & modo uti consueverunt. Aviculas accipimus in exemplum. Univerſa unius speciei hirundines ad generationem & educationem pullorum, nidos ex luto eadem formâ construunt, & ex tectis aut fenestris domorum in propatulo suspendunt. Omnes passeris latebras præferunt, & in abdito tectorum, aut cavis arborum, plumas tantum & stramenta in nidos concimant. Omnes philomelæ & musco arborum, & fetis animalium, circumjectis arborum solis, in ipsa superficie terre inter dumos vidulantur. Omnes acanthides laneos lares hirtæ arboris ramo intexunt. Omnes linariæ lanam etiam in materiam rapiunt, sed in ruborum, aut dumorum opacitate nidos abscondunt. Omnes verò galguli eos instar corbium, è ramo arboris suspendunt. Omnes turdi & merulæ fundo oblinito muscum circumadificant. Omnes picæ spinis circumsepunt, & aliæ aves, quas longo ordine recensere possem, & in puericia callidis aucupis adnotari, omnes ejusdem generis unicam architectandi artem norunt. Vnde autem

tanta paritas, & uniformitas? sine dubio, quia rationem mediæ & finis non cognoscunt; neque inter varias adificiorum formulas hanc vel istam in ideam futuri operis assumere, & materiam illi fini idoneam eligere possunt. Vnde falsum omnino est, quod à fine ad media aut ratiocinando, aut appetendo progrediantur. Alias enim cum innumere sint nidorum formæ, ad pariendum & fovendum ova perinde idoneæ, quedam hirundinum ejusdem speciei (nam domestica ille nigra bifida caudâ, & ripariæ à parietariis & vulgaribus specie dissidem) aliam interdum formam & materiam operi suo seligerent; ut inter homines, Belgas, Germanos, Italos, Hispanos, Francos, aliter aliterque architectantes cernimus. Quia igitur bruta animantes nullam artem architectonicam, defectu rationis & ratiocinationis discere possunt, Natura, id est Deus, unam artem, quam omnes ejusdem speciei sequantur, eis impressit.

xxii. Respondeo negando consequentiam: quia ista omnia solum convincunt bruta ista animalia necessariò & secundum quid tantum ratiocinari, non liberè & simpliciter; five non ratiocinari ex liberatione & in ordine ad electionem, sed ad raptum unius partis. Cur obsecro, sicut dari potest cogitatio necessaria mediæ & finis, non posset dari collatio necessaria inter medium & finem? talis enim omnino datur virtualiter in Deo & Angelis, cum hoc tamen inter plurima discrimine, quod in illis sit in ordine ad electionem, non ita in brutis, ut diximus supra.

xxiii. Instabis ex S. Augustino lib. de Quantitate Animæ cap. 28. ubi dicit, Feras non habere sapientiam, totamque illam velut imaginem scientiæ, quam miramur, vim esse sentiendi. Ergo, &c.

xxiv. Resp. S. Augustinum per sapientiam, ibi opus rationis prout opponitur operi corporis, intelligere juxta hoc quod subdit cap. 29. sequenti, vellem ut diceret non continud esse scientiam sive sapientiam; si quod non latet; sed si per rationem non latet, cum autem per corpus non latet sensum vocari, &c. id est, quod ante latens per discursum non latens dicitur, si discursus sit opus potentiæ spiritualis, sapientia est & scientia; si verò opus potentiæ corporalis, vis sentiendi dici debet, non sapientia, quia hæc simpliciter pro discursu opere potentiæ spiritualis stat, quæ omnia ultro fatemur, nec volumus bruta esse rationalia simpliciter, sed cum addito ex solo instinctu naturæ & secundum quid.

xxv. Obijcies 2<sup>o</sup>, ex D. Fromondo loco supra citato art. 3. Si ex ordinata actionum serie, quæ bruta procedunt, liceret cognitionem mediæ & finis & ab uno eorum ad alterum, verum discursum & ratiocinationem colligere; profectò in arboribus quoq; & rebus insensibilibus, ratio & ratiocinatio inesset. Illa enim alimenti per radices telluri infixas attactio, concoctio, & dispensatio per universum arboris corpus, cum admirabili omnium partium proportionem; foliorum & florum extrusio, fructuum educatio, & tota illa animæ vegetativæ in nutritione sui corporis Oeconomia, non minùs ingenii & admirationis habet, quàm omnium vulpium, fimiariarum, canum ambagiosæ imaginationes & astutia.

xxvi. Deinde, quid virtute conformatrice ingeniosius? non existimo in Divino illo coelestium sphaerarum & astrorum horologio, plus ingenii & admirationis esse, quàm in organica ista unius animalis, aut plantæ conformatione, à virtute seminis inanimâ, aut certè ab animâ quidem, sed operationem suam non intelligente. Ita ille.

xxvii. Respondeo negando sequelam, & ratio est, quod in brutis experiamur discursus & ratiocinationes aliquo usque similes discursui & ratiocinationi hominum; quæ in plantis non magis experimur, quàm in igne & similibus, quæ ab omnibus non habentur rationalia: deinde ratiocinari supponit principium cognoscitivum, quod omnes plantis negant, & brutis concedunt: imò S. Thomas 1. p. q. 78. art. 4.º dicit, *Avic colligit paleam, non quia delectat sensum; sed quia utilis est ad nidificandum.* Et loco supra citato: *Et ideo in homine non sunt aliæ vires utendi quodam Syllogismo ad inquirendum, sed eadem, perfectiores, quam sint in aliis animalibus.*

## DVBIVM II.

*Quot potentia Animæ sensitivæ, & quæ sint?*

## RESOLUTIO I.

xxviii. Dico 1.º, potentia animæ sensitivæ generaliter numerantur tres, scilicet cogitativa aut cognoscitiva, & est illa, quæ objectum percipitur ab animali: 2.º appetitiva, & est illa per quam animal objectum appetit ut bonum, vel averatur ut malum; 3.º locomotiva, & est illa, quæ animal se localiter movet, vel ut quod appetit, obtineat, vel, ut, quod averatur, fugiat; ad loco-motivam refertur fatus, seu potentia fandi.

## RESOLUTIO II.

xxix. Dico 2.º, potentia sensitiva, sive sensus, numeratur communiter duplex, scilicet internus & externus; externus est cujus operationes immediatè pendent ab organo & objecto externis, sive extra animal apparentibus; internus è contra, cujus operationes immediatè tantum ab organo intra animal latitante pendent, cum sola dependentia mediata ab organo & objecto externis; propter quod fit, quod sensus internus plerumque ab objecto absente moveatur, non item externus.

## RESOLUTIO III.

xxx. Dico 3.º, sensus externus numeratur quintuplex, scilicet visus, auditus, tactus, gustus, odoratus, de quibus infra fufius.

Dices sitis & fames, dolor & voluptas, gravitas & levitas, sunt objecta sensus externi, nullius tamè ex illis, ergo sensus numerari debet plusquàm quintuplex.

xxxi. Respondeo sitim & famem, pro contractione ventriculi, esse objecta tactus; pro dolore verò inde orto, esse objecta potentia appetitiva; sicut & voluptatem formaliter pro actu formali appetitus sumptam; secus pro objecto talis actus; sic enim ad illum sensum externum spectant, ad quem spectat illud objectum; gravitas denique & levitas secundum se, non sunt objecta alicujus sensus, sed ratione majoris vel minoris compressionis ipsius corporis, quomodo spectant ad tactum.

## RESOLUTIO IV.

xxxii. Dico 4.º, sensus internus à variis etiam, apud Rubium, numeratur quintuplex, scilicet sensus communis, memoria æstimatoria, imaginativa & phantasia; per sensum communem percipiuntur omnia objecta sensuum externorum; per memoriam actuantur species objecti externi aliquando percepti in sensu interno existentes; per imaginativam formantur ex diversis speciebus rerum aliquando sensu perceptarum, imperceptarum imagines: per æstimatoriam percipitur ratio convenientiæ vel inconvenientiæ, quæ sub sen-

sus externum non cadit; sic enim movetur canis ad comedendum movente æstimatoria, quod conveniat cani manducare; phantasia verò melius cum imaginativa confunditur, quàm distinguatur, sic ut cum D. Thoma 1. p. q. 78. art. 4.º quatuor tantum sensus internos agnoscamus, videlicet *sensum communem, imaginativam sive phantasticam, æstimatoriam & memorativam.* Hic tamen advertere debes omnes illas potentias esse eandem animæ entitatem, quatenus talis vel talis actus elicitivam, ac proinde dicimus cum S. Augustino de libero Arbitrio lib. 2. cap. 3. unicum esse sensum internum ad quem (inquit) *ab istis quinque notissimis sensibus omnia referuntur, qui omnibus communiter præsidet, præcellens sensibus corporis, &c.*

## DVBIVM III.

*Quæ, & quibus animalibus potentia assignata convenient?*

## RESOLUTIO.

xxxiii. Dico hoc dubium non esse nostri fori, ut tamen tantillum curiosis satisfaciam, valde probabile puto omne animal habere sensus aliquos internos & externos, nam quodlibet animal, si pungatur, læsionem percipit, in quo est tactus, & ut læsionem evitet, se contrahit, in quo est potentia æstimatoria; imò vel in limace, tactum, æstimatoriam, & memoriam notamus; tactum imprimis & æstimatoriam, quia læsus cornua contrahit ut læsionem vitet, deinde aliquamdiu illa intus continet, in quo est memoria præteritæ læsionis: de gustu verò videtur probabilius, quia omnia quærunt alimentum tibi conveniens; sed quid de piscibus? an auditum & odoratum habeant, de visu vix ullus dubitat, qui cum Aristotele de Historia animalium l. 4.º c. 8. in talpis subtilem visum agnoscit: de auditu aliquid colligere est ex piscatorum silentio & furtivo gradu, quo ad pisces accedunt: de odoratu videtur certius, cum nonnulli ut lupi pisces aquam fetidam averfentur, anguillæ verò appetant. Sed Quæres an homo sensibus præstet cæteris animalibus?

Respondeo negando juxta hos versus:

*Nos aper auditu, linx visu, simia gustu,  
Vultur odoratu, præcedit aranea tactu.*

Sensus tamen hominis utpote nobiliorem formam sequentes, & in entitate saltem inadæquatè spirituales, sunt aliis nobiliores.

## DVBIVM IV.

*An sensus sint potentia activæ & passivæ?*

## RESOLUTIO.

xxxiv. Dico, sive sensus sumatur pro eo, quod præcisè dicit ex parte animæ, sive præcisè pro eo, quod dicit ex parte corporis seu organi est partialiter activus & partialiter passivus ipsius sensationis.

xxxv. Probatur, quia sensus, tam ex parte animæ, etiam rationalis, quàm ex parte organi, est sufficienter proportionatus ad partialiter agendum & partialiter patiendum ipsam sensationem; ergo, &c.

xxxvi. Probatur antecedens pro 1.ª parte (pro secundâ enim satis inter omnes cõvenit) quia anima, etiam rationalis, est sufficienter proportionata ad producendam sensationem, quidni & ad illam partialiter